

ternus aër accedens ejus vascula tenera cito exsiccet & constringit, ut circulus sanguinis non amplius fieri queat, hinc brevi corrumpitur. Si igitur non amplius calet sed liveat & gangræna jam adsit, non reponatur, ne etiam aliæ partes internæ tali corruptione inficiantur, unde postea mors sequeretur: opus igitur est ut pars corrupta auferatur. Hoc optime fit ligatura per filum robustum, quod parti adhuc sanæ paulo supra corruptam circumducitur atque firmatur, corrupta infra filum forfice vel alio instrumento acuto resecatur; reliquum, prægresso prius fottu lactis vel aquæ calidæ in abdomen reponatur, filum vero quo ligatura facta pedis circiter longitudine ex vulnere propendeat, ut tandem consolidatione facta a sano decidat, & postea rursus educi queat, nihil enim mali a resectione frusti omenti timendum, quod multiplex observatio docuit. Gastroraphia eodem modo ac th. XI. dictum instituitur; hoc prius observando, ut, antequam fila vulneris abdominis constringantur, turunda mollis digiti parvi magnitudine ex linteo convoluta composita vulnere immittatur, & quidem inferiori ejus parti, sic ut apex ejus in abdominis cavum intret; huic turundæ in altera extremitate filum spithamæ circiter longitudine alligatum sit, ut in singula deligatione extrahi possit: aut si forte in abdomen incideret, ut hujus filii beneficio rursus educi queat, & sic apertura confervetur, per quam partim filum omento adhærens extrahi, partim humores extravasati evacuari possint, ne stagnando putrescant partibusque quas tangunt corruptionem inducant.

THES. XIV.

Præterea cum in hoc casu duo fila extra abdomen propendeant, probe observetur, ne, si forte turunda in cavitatem abdominis irrueret, quod facile fieri potest, fila confundantur, omenti & turundæ fila diversi coloris sint necesse est, ne filum hujus, loco illius vehementer trahatur, & omentum laceretur, unde hæmorrhagia, novumque aliud incommodum oriri posset.

Turunda